



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

11 Quæ promulgatio in legibus ciuilibus requiratur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

PUNCTUM X.

Quæ promulgatio legis necessaria sit, & sufficiat ad obligationem inducendam.

- 1 Publicari debet ea publicatione, qua sufficiat, ut ad notitiam communitatis deueniat.
- 2 An possit quis citri notitia legis publicande in damnum aliorum
- 3 Non est necessarium cuiuslibet in particulari legem publicari.
- 4 Omnia, que vim legis habent publicari solemniter debent.
- 5 Lex reuocatoria antiqua publicanda similiter est.
- 6 Quid dicendum de regulis Cancellaria.

1 **P**rimo constat ex d. his in definitione legis dari non posse legem, quin publicetur publicatione sufficienti, ut ad notitiam totius communitatis deueniat, quia lex est regula operationum non vnius, vel alterius personæ, sed omnium, quæ in communitate resident: debet ergo lex ita publicari, ut in notitiam omnium illorum possit deuenire: tradique videtur in *leges sacratissimas, C. de legibus* ubi Iustinianus ait: *Leges sacratissimas intelligi ab omnibus debent, ut vniuersis præscripto earum manifestus intellecto prohibita acclinent, & faciant præcepta.* *Authent. ut facta noua constitutiones, collat. 1. & de legibus canonici traditur in cap. 3. dist. 4. ubi Gratianus leges in futurum promulgantur firmari autem quando moribus recipiuntur. Quocirca dupliciter lex solemniter constituitur; sicut fit in consistorio Pontificis, vel in congregatione alicuius consilii: si tamen illa solemnitas non sufficiat, ut in notitiam communitatis deuenire possit, nullo modo censetur lex constituta: lex vim obligandi habere etiam respectu illorum ad quorum notitiam deuenit, quæ usque tunc non est regula communis. sic Suarez lib. 3. de lege humana, cap. 16. num. 1. Salas de leg. disp. 12. sect. 1. n. 6. Bonacina disp. 1. quest. 1. punct. 4. num. 10.*

Neque obstat cap. 1. de postulat. prelat. ubi dicitur legem obligare si solemniter editur, aut publicè promulgatur. Ergo non requiritur lex promulgationem publicam, sufficit si solemniter edatur, & ita tenet Panorm. ibi & Reginald. lib. 13. n. 155. Non, inquam obstat, quia illa particula *aut*, quæ distinctiua videtur in re non est distinctiua, sed copulatiua, faciens hunc sensum. Lex obligat, si solemniter edatur, & publicè promulgatur, sic Salas disp. 12. sect. 1. n. 6. Nauarr. cap. 23. n. 40. Bonacina disp. 1. q. 1. p. 4. n. 6. vel ut ait Suarez. idem esse significari per solemnem editionem, aut publicam promulgationem, sed solemnitas editio respicit legislatorem promulgatio respicit subditos, non tamen in re distinguuntur, sicut non distinguuntur, actio, & passio nisi ex terminis ita Suarez lib. 3. de leg. cap. 16. n. 2.

2 **A**duertunt tamen aliqui Doctores, scientem legem esse factam à Principe, & statim publicandam non posse esse notitiam illius legis in fraudem, & damnum alterius. Exemplum est quod tradit Bart. in 1. quæro ff. de act. emp. de versante in palatio, & sciente pragmaticam esse publicandam quod frumentum viliori pretio vendatur, ipse vero statim frumentum emptori non certiorato de lege promulganda, maiori pretio vendidit licite vendere, & contra legem: tradit etiam Roman. singul. 283. Felin. in cap. cognoscetes, col. 4. vers. secundum limita de constitutionibus. Farinac. fragment. 1. p. verb. constituit. n. 647. Credo tamen contrarium esse dicendum, quia videns non catus, vendit tit cum, quam valet, esto minus valiturum sit facta legis publicatione. Ergo nullam iniuriam committit. Movere autem emptorem de publicatione facienda legis, ipse non tenetur: esset tamen officium perfectionis, & ita tenet alios referens Menoch. lib. 2. de arbit. casu 185. n. 22.

3 **P**ublicatio autem multipliciter fit, vel voce præconis, vel assignando scripturam loco publico: ita supradicti Doctores. Nullo autem modo requiritur, ut singulis iuridice intimetur cap. 1. de postulat. prelat. quia hoc regulariter est impossibile, & quia sufficeret per communem promulgationem in singulorum notitiam deuenire potest. Lex enim non circa singulos in particulari sed quatenus vniuersum corpus communitatis componitur veritatur: ac proinde secundum illam rationem debet esse promulgatio: sic Molin. tract. 5. de iurisdict. disp. 70. n. 2. Bonac. num. 9. & alii suprad.

4 **E**x his inferitur, ea omnia, quæ in puncto 2. diximus vim legis sortiri, necessarè publicanda esse publicatione ad legem requisita. Quocirca interpretatio legislatoris suæ legis antea factæ, ut secundum illum sensum lex obligationem accipiat, debet necessario iuridice publicari, & idem est de receptis, seu epistolis & responsis Principum, ita Suarez, lib. 3. cap. 15. n. 17. & lib. 4. cap. 14. Bonacina disp. 1. q. 1. p. 4. n. 12.

5 **S**ecundo infero, legem reuocantem antiquam eodem modo publicandam esse, ac quælibet alia lex: tam quia est lex & lex tollens possessionem alterius. Item quia res per causas per quas nascitur, per eas dissolui debet ita tradit Azor. tom. 1. in lib. 5. cap. 3. quest. 7. Valquez disp. 136. cap. 4. num. 25. Bonacina disp. 1. quest. 1. punct. 4. num. 13.

Dices si legislator voluntatem non habeat obligandi, lex

Ersh. de Castro Sum. hbor. Paris 1.

non obligat, sed cum reuocat legem etiam si reuocationem non publicet, non censetur velle legem reuocantem obligare. Ergo ut lex reuocatoria suam vim fortiat ut non requirit publicationem.

Respondeo nunquam censeri legislatorem velle suam legem non obligare, quouique reuocationem publicet eo modo, quo lex fuit publicata: quod si daremus hoc velle, cessaret quidem lex prior, sed non authenticè & per legem reuocantem, sed per defectum alicuius requisiti ad legem.

6 Tertio inferitur, quid dicendum sit de regulis Cancellariæ?

Dico ergo, si legis vim habere habent, ut vere habent, sunt necessario sicut & alia leges publicandæ, ut autem obligent officiales Cancellariæ in vi præcepti non expostulant publicationem. At credo regulas Cancellariæ non tam in viles scriptæ, quam in vi consuetudinis, seu styli curialis obligent omnes; ille enim stylus, & vltus ex consensu Principis est illarum publicatio: quocirca non obligant, antequam tempus curat præscriptioni, vel consuetudini inducendæ necessarium, sic Bonacina num. 14. Sed de his latius cum de consuetudine habeatur sermo; ibi enim examinabimus, qua ratione stylus curiæ legis vim fortiat.

PUNCTUM XI.

Quæ promulgatio in legibus ciuilibus requiritur.

- 1 Explicatur questio.
- 2 Leges latae pro vna prouincia sufficit si in ciuitate metropoli publicentur.
- 3 Si pro diuersis prouinciis leges fiant in qualibet prouincia debent publicari solemniter, & tunc non nisi post duos menses incipiunt obligare.
- 4 Excipitur Nisi aliter expresse constet de legislatoris voluntate.
- 5 An lex lata à principe in curia, & intendens statim obligare, sortiat effectum. Proprietur communis sententia.
- 6 Suarez distinctione ritur.
- 7 Approbatur sententia Suarez aliquoties explicata.
- 8 Apponitur quedam obiecti, & soluitur.
- 9 Satisfit argumentis num. 3. adductis.

1 **V**ariæ sunt leges ciuiles, alia dantur pro vna prouincia, seu paruo regno, alia dantur pro pluribus prouinciis, seu regnis. Alia procedunt ab Imperatore, Rege vel communitate nemini subiecta, alia à magistratu iis subiecto.

2 **S**i leges ferantur pro vna tantum prouincia, vel paruo regno, siue à magistratu Imperatoris subiecto, siue ab iplorem Imperatore, & Rege, sufficit promulgatio facta in præcipua ciuitate, neque requiritur publicatio in qualibet ciuitate, neque transitus duorum mensium, ut incipiant obligare, nisi aliud in lege expresse caueatur, ita Syluest. verbo lex, quest. 3. & 6. Azocius tom. 1. in sum. moral. lib. 5. cap. 3. quest. 2. Salas de legib. disput. 12. section. 2. num. 11. Suarez lib. 3. de legib. cap. 16. nu. 7. & cap. 18. num. 6. Bonacina disp. 1. quest. 1. punct. 4. num. 16. & alii ab eisdem relati.

Ratio est; quia ex iure naturali neque ex iure positiuo amplior publicatio requisita est. Non ex iure naturali; nam illa est sufficiens, ut in omnem prouinciam notitia legis deueniat. Ex iure autem positiuo nullibi est assignata amplior promulgatio, neque temporis prorogatio, quia solum de legibus latis pro diuersis prouinciis expostulatur, ut in qualibet fiat publicatio, & terminus duorum mensium, in Authent. ut facta noua constituitur. Ergo.

3 **Q**uod si leges pro diuersis prouinciis latae sint in qualibet prouincia debet fieri sua solemniter promulgatio, & post duos menses ab illius publicatione incipit lex in illa prouincia obligare. ita Nauarr. consil. 1. de constitut. quest. 4. num. 19. Valent. tom. 2. disp. 7. quest. 5. punct. 5. Suarez plures referens lib. 3. cap. 16. num. 8. & seqq. Bonacina n. 16. Mouentur ex authent. ut facta noua constitutiones, ubi id statuitur expresse: habetur enim, ut facta noua constitutiones post insinuationes earum post duos menses valeant. Dices illa esse verba legis in lege autem non de qualibet constitutione, sed de constitutionibus ad testamentum pertinentibus sermo habetur, quod constat ex cap. 1. illius Authent. ubi, scimus igitur ex illo nostras constitutiones, que pro testamentis sunt, valere, ex quo in cõmuni facta sunt manifestè in prouinciis autem ex quo directe per metropolim palam facta sunt. Ergo ex iure positiuo leges non testamentariæ non expostulant hanc multiplicem promulgationem, & terminum duorum mensium: tam quia ex vno singulari non debet valuerit inferri tum quia in testamentis est specialior ratio, ut hæ publicatioes fiant, nempe, ut omnino tollatur ignorantia, ne propter illam deficientiam infringatur voluntas, ut ibidem dicitur, & ita tenet Valquez I. 2. disput. 116. cap. 3. Adde, est titulus generalis fuerit omnibus legibus, cum in lege ad solas testamentarias leges ardeat: ex huiusmodi coarctatione titulus ex

placandus est, & limitandus: nam ut eruditè probat Menochius lib. 6. *presumpt.* 1. rubrica per leges scriptas, quæ claræ sunt, & distinctè explicanda est, & limitanda.

Adde rubricam non disponere tanquam legem, nec posse pro textu allegari, sed esse index legis, & demonstrat, quæ in textu habentur, ut ex Decio & Alciato probat Menoch, *ibi*: Ergo etiam si generalis fuerit, non obligabit generaliter, cum textus ad particulares leges actetur.

Verum reuocanda est communis sententia affirmans ex huiusmodi præfatione, seu rubrica iuncto textu omnes leges Imperatoris latas pro diuersis prouinciis esse in qualibet illarum publicandas, ut in qualibet obligent. & duos menses prætereundos esse ut incipient obligare. Moucor, quia ita tenet communis sententia, affirmans textum infra scriptum appositum esse non ad limitandam rubricam, sed exempli gratia, quod inde colligitur, tum quia rubrica habet sensum perfectum, tum quia est fauorabilis dispositio, & non contraria textui. Ergo. Adde, omnes leges tam vicinarum voluntatum, quam aliarum rerum requirunt, si pro diuersis prouinciis ferantur, terminum duorum mensium, ut obligent; quia ita in alia Authent. statutum est quod declarauit Pius I. V. in *bullâ editâ pro obseruando Concilio Tridentino*, quæ incipit sic: *Et sacrorum*: ubi mentionem faciens huius authenticæ dixit iure communi statutum esse, ut constitutiones nouæ non nisi post certum tempus obtineant. Ergo non obstat locutio particularis de legibus vicinarum voluntatum, ut doctrina generaliter de omnibus legibus iuxta rubricam intelligatur.

4 Limitant autem supradicti Doctores, Suarez, Salas Bonac. Nauar. Valent. Menoch. *de arbit. lib. 2. casu 18. numer. 2* & alii nisi legislator, qui legibus Imperatoris subiectus non est manifestet voluntatem obligandi ex sola vna publicatione in curia factâ. Nam cum iure naturæ, illa sufficiens sit ad obligationem subditis inducendam poterit legislator illa sola contentus esse, cum leges imperatorias non teneatur obseruare. Semper tamen necessarium est ut legislator tempus concedat sufficiens ut in totius communis notitiam lex deuenire possit; alias communitatem non obligabit.

5 Ex quo oritur, difficultas an lex lata à Principe intendente statim ac illam in curia promulget, omnes sibi subditos obligare, de facto fortitaur effectum, & subditos obliget.

Affirmat communis sententia cum Panormi, Felin. Decio, & aliis in *c. 2. de constitut.* Salas *disp. 12. de leg. sed. 2.* Suar. *lib. 3. c. 16. sine. n. 14.* Bonac. *disp. 1. q. 1. p. 4. n. 16.*

Probatur, quia lex constituitur in suo esse integro, quando promulgatur; sed lex esse non potest sine obligatione, qui est eius effectus. Ergo. Et confirmo, si esset lex irritatoria contractuum, & vellet Princeps à puncto publicationis omnes contractus irritare, sine dubio manerent irriti, quantumvis contraheutes notitiam legis habere non possent. Ergo signum est promulgatione solemnî sufficienter legem constitui.

Ex quo inferunt Salas *disp. 12. de leg. sed. 9. numer. 34.* Bonac. *disp. 1. q. 2. punct. 4. numer. 28.* & 19. si facta promulgatione solemnî statim aliquis subditus in remotissimis partibus existens, miraculose notitiam legis haberet, obligatus esset illam seruare quia adest quicquid ad obligationem inducendam necessarium esse videtur, scilicet legem esse publicatam solemniter, & notitiam illius. Ergo publicatione solemnî sufficienter lex constituitur.

6 Suarez *lib. 3. cap. 17. numer. 17.* distinctione vitur; affirmat namque legem publicatam in loco debito, nullamque habentem temporis determinationem, ex voluntate Principis statim incipere obligare eos, qui illius habent seu habere possunt notitiam, in quo cum communi sententia conuenit illos veto, ad quorum notitiam deuenire tunc non potest, sed necessarium est aliquod tempus, in ea illud tempus, quod moraliter necessarium fuerit, affirmat obligare: pro quo modo dicendi adducit Nauar. *consil. 1. constitut. quest. 4. in respons. ad 4. obiectiorem*, Panorm. & Felin. in *supra dicto cap. 2. de constitut. numer. 7. & 8.* & Batt. in *l. omnes populi. ff. de iuris. & iure. quest. 5. D. Thom. 1. 2. quest. 10. arr. 4.* & *ibi* Caietan priorum partem huius sententiæ probat Suar. fundamento pro communi sententia allegato & quia potius sceleretur lex pro vno populo publicata, quam pro tota prouincia. Secundam partem probat ex *c. 1. de cõces. presb. in 6. vers. neque obstat*: ubi dicitur, *lex seu constitutio, & mandata nullo astringunt, nisi postquam ad notitiam peruenierint eorumdem, aut ipsi post tempus infra quod ignorare minime debuissent.* Ex quo inferitur, Ergo lex non obligat, nisi post sufficientem tempus elapsum, in ea quod moraliter sciri possent: nam illud est in quo ignorare minime debuissent. Secundo probati potest quia impossibile est notitiam publicationis ad remotas partes eodem die peruenire. Ergo illa publicatio non est sufficiens, ut lex eo die quo est publicata obliget existentes in illis remotis partibus probo consequentiam; quia ad obligationem inducendam necessaria est notitia legis: sed lex Martii v. g. publicata, non potest illo die causare notitiam sui existentibus Hispani. Ergo non potest Hispanenses obligare eo die, debet ergo concedi tempus moraliter necessarium, ut lex in notitiam subditorum, vel per se, vel per alios possit peruenire. Quocirca

promulgatio legis, et si videatur in instanti fieri & coram paucis personis ac re vera non fit in instanti, sed succellit tempotis toto enim tempore, quod necessarium est ut illa promulgatio ad notitiam totius communitatis obligatæ ad legem deueniat, vere proprie lex promulgata dicitur, neque ante hoc tempus conici debet in re promulgata. Ex hac doctrina inferit Suar. *cap. 17. nu. 14.* si legis publicatio in notitiam abentis deueniat miraculoso modo, cum tamen humano modo venire fuerit impossibilis, nullo modo obligat ad illius obseruationem, quia respectu illius non est lex publicata.

7 Placet mihi hæc sententia Suarez quoad secundam partem ob rationes factas: circa primam addendam existimo, nunquam legem obligare posse aliquos quin eius publicatio in notitiam communis, quæ actari possit lege, deueniat; Explico, promulgatur Martii aliqua lex pro toto Castellæ regno; eius publicatio quæ in foro fit non potest simul, & in eadem hora per totum regnum diffundi, imo neque per totam ciuitatem, ut de se constat. Quousque igitur elabatur tempus, ut per totam ciuitatem diffundi possit, neminem illius ciuitatis actari etiam si publicationi præsens exierit. Probo quia lex prius actat communitatem, quàm singulos illius; singuli enim communitatis in tantum actantur lege, in quantum partes sunt communitatis lege obligatæ hæc enim est vna ex differentiis legis à præcepto, quod præceptum respicit singulos, quia in bonum ipsorum ordinatum est; lex vero communitatem: quia in ipsius bonum primo, & per se ordinata est sed ad maioris partis ciuitatis notitiam non potuit lex deuenire in eodem puncto, & momento quo in foro publicatur. Ergo singuli illius ciuitatis non actantur quousque tota ciuitatis actetur, & quæ de causa stylus communis legislatoris est cum intendit legis suis obligare prius præsentibus quam abentibus apponere terminum competentem, intra quem moraliter in omnium uocitiam lex deuenire potest.

8 Dices, cum Rex Hispaniæ fert legem pro toto Castellæ regno illamque Martii promulget neque declarat se velle prius obligare curiales quam abentes non videntur curiales obligati esse, quousque totum regnum obligatum esse censetur quia curiales non obligantur; quatenus sunt partes curiæ sed quatenus partes sunt totius regni liquidem pro toto regno lex fertur. Ergo prius debet esse regnum obligatum.

Fateor ex natura rei hoc esse dicendum. At si princeps legis renore significet se velle subditos quam primum possit obligare, cum possit propinquare ciuitatem, prius quam remotam obligare, tacite innuit se ita velle, ac proinde prius curiales quam abentes lege illa obligantur; & ita docet Suar. *lib. 3. cap. 17. numer. 10.*

9 Restat satisfacere argumentis pro communi sententia.

Ad primum dico, legem publicatione solemnî constitui: at regulariter hæc publicatio, etsi physice in vna hora finiatur non tamen moraliter, & modo necessitate, ut in notitiam totius communitatis deueniat ad hoc enim necessaria est temporis prolongatio: in quo tempore possit lex per præsentibus in absentium notitiam deuenire, ac proinde communitatem, quæ lege actari possit.

Ad secundum dico facta publicatione optimè posse legem irritare contractus, & taxam mercibus constitucere, etiam si obligationem cuius non inducat, quousque eam scire possint quia effectus irritationis & taxæ mercium procedit à Principe, non ex potestate legi statuta sed determinata, quæ non indiget ad sui integritatem notitia subditorum colligitur à simili ex his quæ tradit Suar. *lib. 1. de legib. c. 17. n. 11.* & docet expressè Nauar. *sum. c. 23. n. 44.* Azor *tom. lib. 5. c. 3. q. 9.* Ex quo fit ignorantem legem taxantem pretium mercibus si eas vendat altiori pretio quam sunt taxatæ obligatum esse restituere non quia peccauit sed quia accepit quæ sibi non debebantur sic Bonac. *disp. 1. de legib. q. 1. p. 4. n. 22.*

PUNCTUM XII.

Quæ solemnitas publicationis requiritur in lege canonica.

- 1 Propositur prima sententia eandem seruari debere, quæ in ciuilibus legibus, nisi expresse aliud constet statuere Pontificem.
- 2 Sufficit publicatio Roma facta, ac certum defenditur.
- 3 An lex Roma publicata statim Romanos obliget, vel post duos menses; defenditur ut probabilis statim obligare.
- 4 Qualiter lex municipalis statim subditos obligare potest, & qualiter constitutio principis, si id uellet.
- 5 Satisfit argum. 1. adductis.
- 6 An lex obliget ignorantes.

1 Prima sententia docet seruandam esse eandem solemnitatem, quæ inciuilibus legibus iure communi seruandam esse diximus: scilicet, si leges sint pro diuersis prouinciis, hoc